



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

IV. De incremento, augmento habitus fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

habitus ad hoc potissimum relictus est in peccatore contra exigentiam habituum, ordinis supernaturalis, ut vidimus, ut conaturalius possit se disponere ad iustificationem, & ad gratiam recuperandam: præsertim cum nulla sit ratio ponendi, aut fingendi talem habitum fidei, qui per suam naturam intrinsecam sit fides informis, & mortua.

57 Si autem dicas cum aliis supra adductis, habitum fidei informis non expelli per gratiam aduenientem, sed remanere simul cum habitu fidei formatæ: petam in primis, an maneat otiosus, an verò operetur? Si maneat otiosus, frustra manet, & deberet expelli, sicut ob eandem rationem expellitur in patria, quia ibi esset otiosus, & sicut expellitur etiam ab infideli, quia in eo statu infidelitatis maneret otiosus. Deinde difficile est, quod non operetur circa suum obiectum materiale, & formale sufficienter propositum, cum habitus sit causa necessaria sui actus, quantum est de se, & voluntas non imperet magis hunc assensum, quam illum. Si autem operatur, iam actus ille erit meritorius, cum sit supernaturalis, & honestus, & ab homine grato: erit ergo formatus, & viuus. Et quidem saltem de potentia absoluta non videtur repugnare, quod Deus concurrat etiam tunc cum illo habitu, quo casu sequerentur eadem inconuenientia, & argueretur, quod actus ille de se non esset fides mortua, cum esset meritorius de condigno, si existeret.

58 Dices, fides actualis mortua non potest postea adueniente gratia reuiuiscere; ergo nec fides habitualis mortua poterit reuiuiscere, ut eadem fiat fides viua. Respondeo retorquendo argumentum; quia si actus fidei peccatoris, quod est opus mortuum, perseveret idem adueniente gratia, fiet opus & meritum viuum ex aduentu gratiæ: ergo habitus fidei mortuæ perseverans adueniente gratia, fiet fides viua. Ratio ergo differentia est clara: quia actus fidei præteritus factus à peccatore, non permanet, & ideo non viuificatur, nec informatur à gratia postea adueniente: habitus verò permanet adhuc, & ideo informari potest à gratia, & viuificari.

59 Dices iterum: iustificatio habet de se vim producendi habitum fidei, ut constat, quando homo infidelis conuertitur & viuificatur in baptismo: ergo quando iustificatur etiam peccator fidelis per iustificationem producit aliquis habitus fidei, non præcedens qui iam erat; ergo alius habitus nouus fidei formatæ & viua. Respondetur negando consequentiam: quia ut notauit bene Malderus loco citato, iustificatio assimilatur pluuiæ, quæ si solum inuenit semen in terra, facit germinare herbam: si verò inueniat iam herbæ germen, illud promouet & auget, nec minus potens est in vno, quam in altero casu; ita iustificatio, si non inuenit fidei habitum, facit gratiam illum germinare: si verò illum iam inuenit, facit, quod augeatur, & crescat.

60 Hinc iam expediri facillè possunt dubia alia, quæ de hac fide informi fieri solent. Dubitari enim solet secundò, an fides informis sit virtus simpliciter: de hoc tamen iam diximus supra disp. præcedenti, sect. 2. Dubitatur tertio an sit donum Dei, & fundamentum iustitiæ. Certum est esse donum Dei, nondum quidem inhabitantis, sed disponentis, ut cum S. Thoma infra q. 6. art. 2. notat Suarez hic disp. 7. sect. 3. num. 6. & constat ex Trident. sess. 6. c. 6. diuinæ gratiæ attribuen-

te, quod peccator incipiat etiam in statu peccati disponere se per fidem ad remissionem peccatorum obtinendam. Certum etiam est, fidem illam esse fundamentum iustitiæ, non quidem fundamentum fundans in actu secundo, ut ita dicam; sed in actu primo: sicut fundamentum domus, antequam surgat ædificium, & construat domus, non fundat domum in actu secundo, cum nondum sit domus; sed fundat solum in actu primo; sic fides informis non fundat iustitiam in actu secundo, cum nondum sit iustitia, sed ponit fundamentum in actu primo, prout condistinguitur à re fundata: in quibus non potest esse difficultas.

SECTIO IV.

De incremento, & augmento habitus fidei.

61 SUpponendum est, ut omnino certum, fidem posse augmentum recipere, nec esse in omnibus fidelibus æqualem fidem, ut colligitur ex cap. 17. Lucæ in illis verbis: *Domine adauge nobis fidem*: & ex Paulo ad Corinth. 2. *crecentis fides vestra*; & ex oratione ecclesiæ, quæ petimus fidei, spei, & charitatis augmentum: & ex Tridentino sess. 6. cap. 6. docente, in iustificatione recipi fidem, spem, & charitatem, quam iustificationem præmiserat fieri in singulis secundum diuersam mensuram, & secundum propriam cuiusque dispositionem: & clariùs cap. 10. loquens de iustitiæ incremento dicit: *Hoc verò infinitum incrementum petit sancta Ecclesia cum erat; da nobis Domine, fidei, spei, & charitatis augmentum*. Nec obstat Chrysostomus homil. 9. in epist. 1. ad Corinth. dicens: *In fide parui non esse oportet: quoniam una est fides*: in vita autem virtute non omnes eosdem esse requirunt; si quidem fides altera non est altera maior, sed eadem in omnibus, qui vere credunt: in vita autem hos quidem magis studiosos, illos prigiore. Hoc enim intelligi debet de fide ex parte obiecti crediti, nam omnes idem omnino saltem confusè credere debent, cum tamen non omnes exerceant actus aliarum virtutum: sed alij misericordiam, alij temperantiam, alij alias virtutes, & quidem non omnes in eisdem materiis exerceant.

Potest autem hæc fidei inæqualitas triplex considerari. Prima circa obiectum materiale, quæ potest appellari in extensione. Nam licet omnes fideles debeant, ut diximus omnia fidei obiecta credere saltem in confuso, dum fidem Catholicam amplectuntur, & credunt quicquid Ecclesia Catholica credit: aliqui tamen plura explicitè credunt, quàm alij, in quo sensu dixit Hieronym. in cap. 1. Epist. ad Titum, quod in omnibus fidelibus pro varietate mentium fides communis esse non poterat, & in eodem sensu fides nostra maior est fide antiquorum Patrum, quia ad plura obiecta se extendit, quæ illis nondum reuelata fuerant. Secunda inæqualitas, quæ communiter ab omnibus conceditur, est penes intentionem: nam sicut in aliis qualitatibus, calore, frigore, albedine, nigredine, lumine, impulsu, &c. conceditur intentio, quæ in veriori sententia sit per additionem gradus ad gradum, siue illi gradus sint homogenei, siue indiuidualiter heterogenei: sic in habitibus, & actibus intellectus, & voluntatis, &

Iustificatio
assimilatur
pluuiæ.

An fides in-
formis sit vir-
tus simplici-
ter.

An sit donu
Dei, & fun-
damentum
iustitiæ.

in ipsis speciebus impressis, quæ sunt quasi lumen, vel impulsus intentionalis conceditur sup-
 lis intentio, & remissio: in qua licet gradus sint
 heterogenei, omnes tamen sunt circa idem ob-
 iectum materiale, & formale: non enim cognoscitur,
 vel amatur per primum gradum unum obiectum,
 & aliud per secundum, sed idem obiectum per
 omnes gradus: alioquin primum obiectum non
 cognosceretur, vel amaretur intensè, sed remissè,
 & illa magis esset extensio, seu multiplicatio ac-
 tum diversorum remissorum, quam intensio, quæ
 tota debet esse circa idem subiectum, & ob-
 iectum, quod magis intensuè cognoscitur, vel
 amatur. Quæ inæqualitas conceditur etiam in
 visione Dei beatifica, licet unus beatus non co-
 gnoscat alia, nec plura, quam alter, sed idem om-
 nino, sed actu intensiori, id est habente plures
 gradus, qui omnes representant idem obiectum:
 sicut omnes gradus lucis materialis illuminant ad
 percipiendum idem obiectum corporeum.

63
Tertia inæ-
qualitas.
 Tertia inæqualitas, quæ tribui solet fidei, est
 penes maiorem firmitatem. Quod idem, sicut &
 omnia supradicta, procedit in spe, atque etiam in
 charitate, quæ capaces sunt eiusdem inæqualita-
 tis: est autem difficile explicare hoc tertium ge-
 nus inæqualitatis in his actibus fidei, spei, & cha-
 ritatis: nam quilibet assensus fidei, debet esse su-
 per omnia, atque adeo debet habere ex parte in-
 tellectus summam firmitatem, cum præferat in
 modo assentiendi veritatem huius obiecti omni-
 bus aliis veritatibus, quæ aliunde rationibus na-
 turalibus probantur: non potest ergo esse inæ-
 qualitas in hac firmitate, cum nemo possit assen-
 tiri plusquam super omnia, & omnes, si per fidem
 assentiuntur, debeant super omnia assentiri, ut
 vidimus supraagentes de certitudine fidei.

64
 P. Coninch hic *disput. 17. dub. 5. num. 46.* expli-
 cat hanc inæqualitatem exemplo charitatis, cuius
 actus tunc dicitur firmior, cum unus appetitativè
 Deum magis alio amat, etsi omnes, qui Deum
 vero actu charitatis amant, cum ament super om-
 nia. Hoc tamen exemplum eandem patitur diffi-
 cultatem: quomodo enim potest esse inæqualitas
 in appropriatione maiori, si omnes diligunt Deum
 super omnia alia? Aliter ergo hoc ipsum explicat
 Hurtado *disput. 61. sect. 1. §. 2.* quod scilicet hæc
 maior certitudo fidei non sit in ipso assensu fidei,
 sed in intellectu credentis in actibus quasi reflex-
 is: unus enim multò melius alio expendit atque
 perpendit applicationem miraculorum, auctori-
 tatis ecclesiæ & aliorum argumentorum ad cre-
 dendum, quibus certius, & clarius iudicat quam
 sit ex recta ratione fidei assentiri mysteriis. Hoc
 tamen adhuc est difficile, nec uniuersaliter satis-
 facere potest: quia sequeretur, Theologos, & do-
 ctiores firmiorem semper habere fidem, quia ij
 melius penetrant vim motiuorum, & argumen-
 torum: cum tamen experientia constet, rusticos
 aliquando, & indoctos firmiorem habere fidem,
 quam magis doctos.

65
 Aliter explicat Coninch *ubi supra num. 47.*
 provenire hanc maiorem firmitatem aliquando
 ex simplicitate ipsius credentis, siue quia nequit
 apprehendere subtilitatem, & vim rationum, quæ
 secundum apparentiam fidei repugnant, atque
 ita iis non turbatur, aut etiam ei nunquam oc-
 curunt. Hæc tamen improprie appellatur maior
 firmitas: neque enim firmior dicitur arx, eo quod
 hostes nunquam eam oppugnent, quæ tamen si
 oppugnaretur, facile caperetur: sic nec firmior

dici debet castitas illius, qui ideo est castus, quia
 non sollicitatur ad turpia, sed ille, qui ita affici-
 tur erga castitatem, ut difficilius possit à sollici-
 tantibus expugnari.

Hæc ergo vis ad magis resistendum intelli-
 gitur nomine maioris firmitatis. Potest autem pro-
 venire vel ab ipso intellectu, vel etiam extrinsecè
 à voluntate. Ab intellectu quidem provenire po-
 test partim ex eo, quod motiva credibilitatis, &
 eorum efficacia melius penetrentur, aut etiam
 maiora ab uno, quam ab alio percipiuntur: unde
 ipsemet intellectus manet intrinsecè melius dis-
 positus ad resistendum motibus contrariis: par-
 tim etiam provenit ex eo, quod motiva contra-
 ria magis distinctè, & in particulari examinata
 iam fuerint, & comparata cum motibus fidei, at-
 que in eorum comparatione neglecta. Hinc enim
 fit, ut quando postea motiva contraria opponun-
 tur, minus sit ab eis metuendum, ne turberet, cum
 iam prævisa, & examinata, ac reiecta fuerint.
 Quando autem ab improvviso adveniunt, facilius
 dererent, & formidare potest intellectus, qui so-
 lutionem in promptu nondum habet. Ad quod
 deferuire potest exemplum charitatis, vel propo-
 siti non peccandi, quod licet in omnibus verè
 penitentibus, qui iustificantur, debeat esse uni-
 versale, & super omnia: non est tamen æquè fir-
 mum in omnibus, ut constat experientia in iis,
 qui facile occurrente difficultate relabuntur, &
 in tempore tentationis recedunt: quia nimirum
 non cogitauerant attentè de gravitate tentatio-
 nis, & difficultatis futuræ, ut contra eam in par-
 ticulari se se munirent, illudque damnum, & in-
 commodum negligerent præ studio Deo placen-
 di, & eius mandata observandi: iacula enim præ-
 visa, & præmeditata minus feriunt, & facilius
 reiciuntur, vel tolerantur.

67
 Et parte etiam voluntatis potissimum prove-
 nit hæc maior fidei firmitas. Cum enim fidei
 assensus proveniat à voluntate imperante, cuius
 imperio intellectus resistere non potest; hinc fit,
 ut quò fuerit voluntas firmior ad imperandum
 assensum, eò sit etiam intellectus firmior in eo
 assensu retinendo. Provenit autem hæc maior
 firmitas voluntatis ex triplici capite. Primum est,
 quod voluntas credendi sit magis uniuersalis, &
 efficax: nam licet assensus fidei diuina semper
 credat super omnia, & voluntas etiam sit volun-
 tas credendi super omnia: non tamen semper est
 ipsa voluntas super omnia: potest enim aliquis
 velle credere super omnia, & tamen hoc ipsum
 non velle super omnia, sicut voluntas cultus latræ
 vult exhibere Deo cultum supremum, & per
 consequens colere Deum super omnia, alioquin
 non esset cultus supremus; & tamen potest hoc
 ipsum non velle super omnia: neque enim pec-
 cator quoties offert Deo sacrificium, & cultum
 latræ: habet voluntatem, qua velit super omnia
 hoc facere: imò aliquando est ita dispositus, ut
 propter honorem, vel lucrum magnum tempo-
 rale hunc ipsum cultum Deo debitum non ex-
 haberet, vel etiam negaret. Similiter ergo potest
 voluntas qua imperatur fides super omnia, non
 velle super omnia illum cultum intellectualem,
 & assensum fidei. Quò magis ergo uniuersalis, &
 efficax est voluntas illa credendi, eò est firmior,
 & consequenter firmior erit intellectus in re-
 tentione fidei: quia occurrentibus difficultati-
 bus, & minis facilius resistit, qui super hæc om-
 nia voluit perseuerare in fide.

Secundò

66
*Unde pro-
 ueniat hæc ma-
 ior firmitas
 fidei.
 Ex parte in-
 tellectus.*

67
*Ex parte vo-
 luntatis.*

68 *Irem prouenit hac maior firmitas in voluntate ex carentia affectus erga obiecta contraria.* Secundò prouenit in voluntate hac maior firmitas ex carentia affectus erga obiecta contraria. Sic pœnitens firmius proponit circa peccata futura, & longius postea perleuat in obseruantia præceptorum diuinorum, quando radicitus exuit affectum omnem erga obiecta prohibita. E contra verò solent citius cadere, & relabi in peccata, qui licet cœeperint propositum non peccandi, retinuerunt tamen affectum simplicem vehemētem erga honorem, erga diuitias, erga creaturam aliquam, à quo affectu iterum adueniente occasione rapiuntur ad priora peccata. Ad hoc autem deseruit attenta meditatio circa scditarē peccati, circa defectum boni caducū, & creati, & similia, vt auertatur radicitus cor ab amore eorum, quæ antea diligebat, & firmior maneat amor bonorum æternorum. Si ergo firmior est affectus erga fidē, atque adeo, & ipsa fides, quando radicitus tollitur affectus erga ea omnia, quæ fidei opponuntur, & tunc dicitur fides bene in corde radicata. E contra verò, qui retinent affectum erga bona creata, vel ea, quæ fidei opponuntur, facilius postea à fide deficiunt, & de his dicitur, quod in tempore credunt, & in tempore temptationis recedunt, quia non habebant radices: sicut enim plāta firmior est, quò profundiores habet radices, ita & fides ex hoc potissimum capite firma dicitur, vel infirma. Denique ad hanc fidei firmitatem multum conducit diuina gratia specialis, non solum per protectionem, & custodiam, qua tentationes auertuntur, ne occurrant; quæ protectio, si est extrinseca, non videtur denominare fidem intrinsecē firmam; sed multò magis per auxilia intrinseca specialia, quibus affectus, & intellectus intrinsecē firmantur, quam firmitatem petimus à Deo, dum dicimus, *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis*: & his omnibus modis explicari potest inæqualitas fidei, quæ de facto reperitur, & cum proportionē applicari possunt ad spem, & charitatē, & ceteras virtutes infusas.

69 *An quando fidei habitus infusus augetur intensiue, augmentum, seu intensio fiat physice ab actibus.* Hoc ergo supposito, dubitatur primò, an quando fidei habitus infusus augetur intensiue, augmentum, seu intensio fiat physice ab actibus. Quæstio tamen hac generalis est de habitu charitatis, & aliis habitibus infusis, quæ tractari solet in 1. 2. in tract. de virtutibus infusis, & ultra alios videri potest Suarez tom. 3. de gratia lib. 8. cap. 4. qui bene notat, non procedere hoc dubium de habitu gratiæ, nec etiam de prima infusione habituum completè sumpta in iustificatione: cum enim actus, qui est dispositio vltima, sit actus vnius virtutis, non potest habere vim ad producendos physice habitus aliarum omnium virtutum. Vnde neque etiam dubium est de augmento habituum, quod non confertur ex merito condigno, vel congruo præsentis, sed ex opere operato, transacta iam dispositione, si quæ fuit: nam actus præteritus non potest physice operari, vt constat. Solum ergo potest esse dubium de prima infusione habitus, vel eius augmento, quod datur præsentē actū eiusdem virtutis. De quo etiam supponitur, quod saltem per potentiam obedientialem posset eleuari à Deo, vt instrumentum ad productionem physicam habitus infusi, vel eius augmenti, supposita sententia cōcedente hanc potentiam obedientialem actiuam ad producendos effectus improporionatos. De facto tamen non assumi actus à Deo supra eorum naturam ad productionem habituum, neque esse fundamentum ad id asserendum, excepto

sacramento Pœnitentiæ, in quo contritio, vel attritio est pars sacramenti, & concurret partialiter ad productionem gratiæ & aliorum habituum in sententia docente sacramenta causare physice gratiam probat idem Suarez ibi num. 1.

Aliqui ergo, quorum meminerunt Turrianus hic disp. 45. dub. 7. verisimiliter, & Suarez ibi supra num. 3. in fine volunt, hos actus habere vim sibi connaturalem ad producendos eos habitus infusos, præcipue quoad eorum augmentum. Fundamentum autem præcipuum esse potest exemplum habituum naturalium, ad quos producendos, vel augendos habent vim actus naturales. Alij tamen Theologi omnes pro certo supponunt, hos habitus non posse physice produci, vel augeri ab actibus: imo Hurtado disp. 62. scilicet 2. §. 12. dicit oppositum etiam quoad augmentum non esse tutum, & Medina apud Suarez ibi supra num. 11. dicit, licet non si erroneum quoad primam productionem esse temerarium. Ipse tamen Suarez num. 12. & 17. has censuras non approbat, sed dicit, communem sententiam esse solum assertionem communem ita certam intra latitudinem opinionis, vt contraria non possit probabilis reputari.

Omissis autem multis rationibus parum efficacibus, quibus defendi solet, & quæ videri possunt apud prædictos Auctores, & apud Coninch de moralitate actuum supernaturalium disp. 7. dub. 2. probari potest primò, quia in iustificatione hi habitus à Deo infunduntur, & non generantur ab actibus, vt significat Trident. sess. 6. cap. 7. dum dicit, charitatem per Spiritum sanctum diffundi in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret, & hæc omnia infusa accipere hominem per Iesum Christum, fidem, spem & charitatem: quæ omnia significant infusionem à Deo, provt distinguitur ab acquisitione per proprios actus. Quod etiam significauit Augustinus lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 9. vbi dicit, hominem præparare cor, (nempe per actus licet non sine cooperatione Dei, Deum autem præparato cordi ita respondere, vt in eo nihil operis habeat homo, sed totum sit à Domino Deo. Vnde argui potest ad augmentum eorum habituum: quia sicut homo per proprios actus se disponit ad primum gradum habituum, ita postea per merita subsequencia se disponit ad eorum augmentum; ergo sicut Deus solus physice producit primum gradum, non concurrente physice dispositione, vt causa, ita Deus solus producit physice secundum gradum: actus nostro se habente solum vt dispositione: illa enim causa, quæ non habet virtutem ad producendum primum gradum qualitatis, minus poterit producere physice secundum, ad quem maior virtus semper requiritur, quàm ad primum.

Hinc rursus secundò probatur, quia si habitus physice produci possent per actus, non essent per se, & ex natura sua infusi, sed acquisiti, sicut & habitus naturales, licet per accedens possent à Deo infundi, & ideo dici possent per accedens infusi, sicut & habitus naturales dici solent acquisiti per se, & per accedens infusi. Quod tamen est contra Theologos omnes statuētes hos habitus esse per se, & ex natura sua infusos, quia hoc modo debent iuxta suam exigentiam à Deo infundi.

Tertio probatur à priori, quia hi habitus non sunt sicut acquisiti, qui solum dantur ad faciilius operari.

operandum, & supponunt iam potentiam completam in ratione potentiae, sed potius dantur ad simpliciter posse, & ut potentia sit completa in ratione potentiae quae sine habitu, vel aliquo alio principio suppleto loco habitus non est completa in ratione potentiae: & ideo non acquiritur per actus, quia potentia debet omnino praesupponi ad suos actus, non vero potest, aut debet per actus comparari. Hoc autem argumentum eodem modo probat de intensione, seu augmento habituum: quia sicut primus gradus intensiois, ex parte habitus dat simpliciter posse ad actum supernaturalem remissum; ita intensio ipsius habitus dat simpliciter posse ad actum intensum; ergo non minus intensio, quam primus gradus habet se per modum potentiae, atque ideo non magis poterit ex natura sua produci physice per actus; hi enim si intensi sunt, iam ad ipsos connaturaliter praecedere debet habitus intensus, quare non possunt ipsi actus habere vim producendi in habitu intensiorem, quae connaturaliter loquendo deberet praesupponi semper ad actus intensos. Si vero ipsi actus non sunt intensi, sed remissi, minus poterunt producere physice intensiorem in habitu, ad quam intensiorem, ut diximus, maior virtus requiritur in causa, quam ad producendum gradum remissum.

Quarto, probari potest ex principio alio supra posito, quod hi habitus comparantur ut passionem consequentes, & dimanantes ex gratia habituali: quare nulla causa habebit virtutem eos physice producendi, quae non habeat virtutem producendi gratiam: alioquin ponerentur passionem gratiae sine gratia: si autem ponitur habitus gratiae, statim resultant hi habitus, vel per efficientiam physicam, qua sunt a gratia, vel per dimanationem, qua ad exigentiam gratiae sunt a generante, hoc est, ab ipso Deo, qui infundit gratiam. Non est ergo in ipsis actibus ponenda vis physica producendi hos habitus, cum actus non possint physice causare gratiam, nec posita gratia, necessaria sit in actibus talis vis producendi habitus, qui ex positione gratiae, etiam sine concurrentia actuum debent connaturaliter resultare.

Vnde quinto arguere possumus: quia in peccatore durante statu peccati habitualis, reperiuntur plures actus boni supernaturales virtutum moralium, quales sunt misericordia, iustitia, & attritio etiam supernaturalis ante susceptionem sacramenti: & hi actus non producunt habitus infusos earum virtutum: quia nimirum non possunt producere habitum gratiae, sine quo non datur alij habitus earum virtutum. Hinc autem argui potest ad habitum charitatis: nam licet eius actus non dentur in peccatore remanente in peccato: non potest tamen reddi ratio, cur actus temperantiae, vel attritionis supernaturalis non possint physice producere suos habitus, si actus charitatis potest physice suum habitum producere, cum non minorem proportionem habeat actus iustitiae cum suo habitu, quam charitas cum suo, & sic de aliis.

Sexto probari hoc ipsum potest ex modo, quo augmentum horum habituum de facto datur, nimirum propter merita condigna bonorum operum, quae iustus operatur, & ut praemium eorum operum: praemium autem hoc habet ex se, ut a praemiante debeat reddi propter opera, quare non fit hoc augmentum ab ipsis meritis operibus, sed opera facta mouere debent Deum, ut eorum intuitu praemium conferat, & augmentum habi-

Card. de Lugo de Virtute Fidei diuina.

tuum infusorum. Alioquin si iustus suis actibus produceret sibi physice hoc augmentum, non magis a Deo praemium acciperet, quam a semetipso, qui sicut suos actus sibi elicit, ita & praemium sibi physice produceret. Quamuis autem Deus posset non concurrere cum actu bono ad producendum augmentum habitus, & ideo videatur a Deo etiam accipi illud augmentum: hoc tamen non videtur sufficere ad rationem praemij condigni, quod ita debet condistingui a merito, ut addat aliquid supra totum id, quod iam censetur ipse merens habere in bonis suis. Qui autem posuit actum bonum habentem vim per modum causae efficientis necessariae ad augendum habitum, iam censetur habere in bonis suis totum illud augmentum. Nec vllus vnquam dixit, habitum naturalem, quem exercitio actuum bonorum acquirimus, esse proprium praemium ipsorum actuum, quibus acquiruntur, nisi forte improprie, sicut virtus dicitur ipsa esse sibi merces. Nec actus externus bonus est praemium, quo praemiatur condigne voluntas interna, a quo efficaciter imperatur, sed est effectus necessarius eius voluntatis, qui sine miraculo impediri non potest. Sic autem se haberet in ea sententia augmentum habitus infusi, cum esset effectus necessarius physici actus boni supernaturalis, cuius physica efficientia sine miraculo impediri non posset, & sine violentia causae efficientis physicae, & necessaria: non ergo esset praemium condignum illius actus, sed effectus illius; cum tamen de facto ipsi actus, sicut merentur de condigno augmentum gratiae, ita mereantur augmentum habituum supernaturalem, qui gratiam consequuntur, vel comitantur.

Confirmari potest primo, quia frequentius de facto datur eiusmodi augmentum propter actus aliarum virtutum, quam propter actus illius virtutis cuius habitus augetur: nam habitus infusus iustitiae, v. g. augetur propter actus non solum iustitiae, sed etiam misericordiae, temperantiae, fidei, spei, charitatis, & aliarum omnium virtutum, ut suppono, cum iis omnibus actibus datur augmentum gratiae, ad quod consequitur augmentum aliorum omnium habituum infusorum. Quare necesse est, ut multo frequentius augetur habitus infusus iustitiae propter alios actus, quam propter actus iustitiae, cum multo plura sint opera bona aliarum omnium virtutum, quam solius iustitiae. Quod idem dici potest de ipsa charitate, cuius habitus augetur etiam propter actus bonos aliarum omnium virtutum infusarum, qui communiter loquendo multo plures, & frequentiores erunt, quam actus solius charitatis. In iis autem casibus non potest dici, quod augeantur omnes habitus infusi physice, ab actu cuiuslibet virtutis, cum actus temperantiae nullam habeat proportionem in se, ut sit causa physica habitus charitatis, vel iustitiae: quare fatendum est solum concurrere, ut causam meritoriam, & moralem, atque ideo naturam huius augmenti de se postulare, quod fiat a solo Deo, cum ille debeat esse communis modus, quo conferri debet, nec nisi quoad partem exiguam possit fieri ab actibus, facta comparatione ad id, quod sine efficientia actuum conferri deberet, etiam si in ipsis actibus concederetur ius producendi physice augmentum proprii habitus ad quem singuli spectant.

Confirmari denique potest secundo, quia si haec efficientia non esset solum moralis, & meritoria

ritoria, sed etiam physica, deberet augeri physice habitus infusus ab actibus saltem supernaturalibus eiusdem virtutis, etiam quando ij actus non essent meritorij, atque adeo actus charitatis, qui continuè à Beatis ardentissime exercetur erga Deum, deberet augere physice ipsum habitum infusum charitatis; quod est manifestè falsum, & absurdum. Sequela verò probatur, quia ad efficientiam physicam, solum attenditur virtus physica, & substantia causæ; quare cum ille sit verè actus charitatis quoad substantiam, non posset impediri à sua actiuitate; nisi per miraculum, quod ineptè continuè fingeretur ibi ad impedendum augmentum charitatis. Quod si dicas, actus solum liberos habere hanc vim physicam augendi habitus; hoc in primis absque fundamento diceretur. Sed remanet eadem difficultas circa alios plures actus charitatis liberos, quos Beati eliciunt circa Deum, quando v. g. Angeli propter Dei gloriam nos custodiunt, & tuerentur: & denique eadem difficultas erit de omnibus actibus bonis liberis, quos circa alias virtutes eliciunt plurimos in cælo, per quos tamen non augentur habitus infusi, & hoc præcisè, quia non sunt actus meritorij ex defectu status viatoris: qui defectus non est intrinsecus in ipsis actibus, cum status viatoris, vt suppono, constituatur per decretum extrinsecum, & legem Dei statuentis tale, vel tale tempus pro statu viæ: quare iidem actus, quos habent in purgatorio animæ, si haberentur in hac vita, essent meritorij de condigno, & augerent gratiam, & habitus infusos, quos tamen ibi non augent: non ergo habent ex se vim physicam producendi tale augmentum, ne dicamus eam vim perpetuo miraculo impediti extra viam, ne operetur, quod physice deberet operari.

77

Fundamentum verò desumptum ab exemplo habituum naturalium, qui physice generantur, & augentur per actus, retorqueri in primis potest, quia actus naturales non possunt producere physice habitus, qui compleant potentiam in ratione potentia, sed solum, qui reddant potentiam faciliorem, ergo nec actus supernaturales possunt physice efficere habitus hos, qui dant simpliciter posse, imò qui, vt dixi alibi, non dant facilius posse, non enim sentit maiorem facilitatem ad credendum puer baptizatus in infantia, & nutritus in syluis, quando sit adultus, & ei proponuntur res fidei, quam si non fuisset baptizatus, nec haberet habitum infusum: non ergo potest argui ab habitibus acquisitis ad infusos, vt hi etiā fiant ab actibus sicut illi. Deinde habitus acquisiti non solum quoad augmentum, sed etiam quoad primam generationem fiunt per actus: quod tamen de habitibus infusis dici non potest, cum ad primum etiam actum prærequiratur ex natura rei habitus, qui compleat potentiam. Vnde constat ratio differentia inter vtrosque habitus: hi enim, qui dantur ad modum potentia, non possunt ab actibus fieri, sicut nec potentia fiunt à suis actibus, licet illi, qui supponunt potentiam, & solum deserviunt ad eam inclinandam, & facilitandam, possint ab actibus fieri, & augeri. Addo denique habitus naturales in mea sententia esse solum species benè coordinatas relictas ex actibus præcedentibus, vt probavi in Philosophia: ex quibus, & ex memoria priorum voluntatum, vel assensus sapius præstiti sine experientia incommodi, prouenit illa maior facilitas ad perseverandum in decretis, & ad percipienda obiecta cum

minori attentione, & labore, propter species tam longo discursu fabricatas, & propter sympathiam, qua excitantur facilius in memoria. Quæ omnia non pertinent ad habitus infusos, qui non sunt species, nec præstant id, quod à speciebus benè ordinatis prouenire potest; quare licet actus eius supernaturales possint generare hanc facilitatem habitualem prouenientem à speciebus benè ordinatis ex ipsis relictis, non sequitur, quod possint generare, vel augere habitus infusos, qui dantur ad modum potentia. An verò possint relinquere habitus acquisitos, seu facilitatem ad alios actus, non est huius loci. Certè supposito, quod habitus acquisiti, & eorum facilitas sint species benè ordinata, & memoria actuum præcedentium, idem sine inconuenienti concedi potest de actibus supernaturalibus, cum experientia constet non minus ab eorum exercitio reddi potentiam faciliorem ad alios actus posteriores, quam ab exercitio actuum naturalium, & negari non possit, quod relinquunt etiam post se species sui, quæ deserviant & ad memoriam, & ad facilitatem, & cum minori defatigatione percipienda obiecta, & motiua, quæ antea non nisi cum attentione, & labore percipi, & examinari debebant.

Secundo principaliter dubitari solet, an quando habitus fidei, & spei manent in peccatore, augentur per actus fidei, & spei, qui non per modum causæ, sed vel meriti de congruo, vel dispositionis deserviant ad illud augmentum comparandum. Et quidem illi, qui dicunt, habitum fidei, quando infidelis denud convertitur ad fidem, infundi de facto absque habitu gratia, & charitatis, facile concedunt, repetitis actibus fidei, augeri etiam eius habitum in statu peccati: quia sicut actus primus fidei fuit dispositio sufficiens ad infusionem habitus, ita actus fidei subsequentes disponere poterunt ad eius augmentum, cum non sit minor efficacia in actibus subsequenibus, quam fuerit in primo actu. Ita concedunt Valentia hic *disp. 1. q. 5. puncto 4. Turrrianus disp. 45. dub. 1. Hurtado disp. 61. sect. 2. Coninch disp. 17. dub. 6. n. 5. 2. saltem quando actus fidei sunt intensiores habitu: cum quæ etiam limitatione de actibus solum intensioribus idem docet Suarez lib. 9. de gratia c. 4. n. 10. Addit tamen n. 5. postea recuperata gratia augeri etiam fidei habitum per actus quoslibet fidei, vel aliarum virtutum, nisi fortè reperiatur iam fides ex incremento dato in statu peccati intensior, vel æque intensa cum ipsa gratia: nam ad augmentum gratia solum augetur consequenter fides, & spes, vt sint in eodem gradu cum gratia: quare si iam aliunde repetuntur in eo, vel in superiori gradu, non augentur, sed remanent sicut antea; in quo dissentit à V. Vasquez, qui in 1. 2. *disp. 220. cap. 6. num. 16. vt consequentiùs loqueretur, dixit, fidem, & spem neque etiam in homine iusto augeri nisi per proprios actus, quia hi habitus, cum non sint connexti, cum gratia, sed de facto reperiuntur ab ea separati, non habent etiam connexionem cum augmento gratia, & aliarum virtutum, sed sive sint informes, siue formati, semper augentur per omnes & solos proprios actus, cui consentit Turrrianus hic *disp. 45. dub. 1.***

Nobis iuxta nostra principia supra posita aliter dicendum est, habitum fidei, (& idem est de spe) in statu peccati non augeri per proprios actus; in homine autem iusto augeri per omnes actus, per quos augetur gratia. Et quid, quod in

statu peccati non augeantur habitus fidei, & spei, conceduntur ij omnes, qui negant infundi habitum fidei ante infusionem gratiae, vt fateretur Hurtado *disp. 6. r.* qui ait consequentiam esse bonam, si fides non infunditur sine gratia, nec eius augmentum sine gratia, vel augmento gratiae vquam infundi. Vnde probari potest iisdem argumentis, quibus supra probauimus, fidem non infundi sine gratia: & rursus absolute probari potest ex absurdis, vel certe difficultatibus, quas aduersarij pari coguntur, vt hoc augmentum fidei infornis tueantur. Aliqui enim, vt vidimus, vt consequenter loquuntur, dicunt, fidem in homine iusto non augeri nisi per proprios actus, atque adeo contingere, vt homo iustus habeat charitatem intensissimam, & ceteras etiam virtutes morales, fidem autem remissam: quod certe durissimum videtur, nec satis etiam consequenter dictum. Nam ipsi admittunt, posito augmento gratiae ex opere operato per sacramenta, augeri etiam habitum fidei, vt fateretur expresse Turrianus *loco supra citato, §. ex dictis autem*. Ratio autem esse debet, quia per sacramenta augetur iustitia, & fit homo magis iustus: ad complementum autem iustitiae pertinent habitus virtutum: quare sicut in prima iustificacione infunduntur ij habitus, sic etiam quando augetur iustitia, debent augeri. Haec autem ratio non minus procedit de augmento iustitiae & sanctitatis, quod confertur propter merita, & ex opere operantis: nam tunc etiam fit homo magis sanctus & iustus, & accipit incrementum iustitiae: ergo non debet illud accipere diminutum, sed completum quoad omnes habitus infusos.

Secundo applicari potest ratio à nobis supra adducta: quia valde praternaturale esset, & contra debitum ordinis supernaturalis, vt in homine iusto essent valde intensi habitus charitatis, & alij pertinentes ad voluntatem, & habitus fidei pertinentes ad intellectum esset adeo debilis, & remissus: nam sicut appetitus oritur ex cognitione, & petit cognitionem eiusdem ordinis, & ideo appetitus spiritalis exigit cognitionem spirituales, & appetitus supernaturalis exigit cognitionem supernaturalem: ita virtus, & potentia appetitiua exigit virtutem, & potentiam cognoscitiuam eiusdem ordinis, & ideo virtus appetitiua spiritalis exigit virtutem cognoscitiuam spirituales, & virtus appetitiua supernaturalis exigit virtutem cognoscitiuam supernaturalem, & virtus appetitiua melior, & perfectior exigit meliorem, & perfectiorem virtutem cognoscitiuam eiusdem ordinis: vnde gratia esset in statu valde violento, si posito augmento charitatis, & habituum infusorum in voluntate, maneret pars cognoscitiua, & habitus fidei in statu diminuto, & imperfecto.

Sed neque illi, qui concedunt, augeri habitum fidei in homine iusto per actus omnium virtutum, quoties augetur gratia, loquuntur magis consequenter: ij enim ex vno capite, vt dicant, infundi habitum fidei sine gratia, & in peccatore augeri per actus fidei, conantur ostendere, fidei habitum non habere connexionem cum gratia: & postea, vt defendant, eundem habitum fidei augeri in homine iusto, quoties augetur gratia, saltem si non sit æque intensus cum aliis habitibus, recurrunt ad connexionem, quam habet cum habitu gratiae. Sic recurrit expresse Hurtado *disp. 6. r. §. 9.* vbi inde probat, non posse gratiam

Card. de Lugo de Virtute Fidei diuina.

esse intensiorem fidei, quia gratia, inquit, est principium physicum, aut morale habitus fidei, ita vt substantia gratia non possit esse sine substantia habitus fidei: nec intensio gratiae sine equali intensione fidei: quia gratia comparatur substantia naturali: vnde qualibet pars intensus gratiae, est natura intensiois similis: quia gratia est natura sua principium amandi Deum, quod prestari non potest absque fide; in quibus verbis agnoscit clare dependentiam habitus fidei ab habitu gratiae tanquam passionis à sua essentia, qua dependentia posita, non est, cur concedatur fidem augeri in statu peccati, cum passionem non debeant augeri, quando essentia, à qua dimanant, non augetur. Eodem ferè modo loquitur Suarez *dicto lib. 9. de gratia cap. 4. num. 15.* dicens fidem in homine iusto augeri per omnes actus bonos, & meritorios quia gratia secum illam affert, & ideo illam etiam intendit, quasi per resultantiam, si illam minis intensam repetat.

Ad hoc autem explicandum, & defendendum affert idem Suarez ibi exemplum caloris, cum quo etiam forma ignis habet connexionem: nam licet calor possit esse sine forma ignis, & praecedat illam; at forma ignis est connexa cum calore, & affert secum totum calorem sibi necessarium, vt à se resultantem: si tamen aliquem calorem inuenit in subiecto: tunc ille non resultat; resultat tamen intensio caloris accommodata formae ignis. Sic Ades aliquando praecedit gratiae infusionem, & quidem in maiori intentione, quam sit gratia adueniens; & tunc nec fides ille, nec augmentum resultat ex gratia, quae iam inuenit totam intensiorem fidei, quam exigit, & aliquando maiorem: quando verò aduenit gratia intensior, quam sit fides praecedens, tunc ex ipsa gratia resultat augmentum fidei, donec adaequetur exigentia gratiae intensioris.

Ceterum ex hoc ipso exemplo ostendi potest defectus consequentiae in hac doctrina. Nam calor intensus ita est passio resultans ex forma ignis, vt tamen quoad aliquos gradus praecedere possit productus ab agente extrinseco, nec etiam per aduentum formae impeditur agens extrinsecum à calefacienda eadem materia: vnde si forma aeris petat calorem, vt sex, v.g. & tota hac intensio resultet à forma aeris, non impeditur per hoc agens extrinsecum, v.g. ignis à calefacienda materia aeris, & producendo septimo gradu caloris, quia ignis, qui poterat ante aduentum formae aeris calefacere illam materiam, poterit stante forma aeris adhuc eandem materiam calefacere, cum habeat totam suam vim calefactiuam, & actiuam in eadem materiam. Similiter ergo consequenter dicendum esset in casu nostro, si actus fidei intensus vt quatuor poterat in peccatore augere habitum fidei, & intendere, vt quatuor, & ita de facto illum intendisset, prout concedit Suarez, qui vult semper per actus habitu intensiores intendi fidem in peccatore: ergo si idem actus intensus, vt quatuor fiat ab homine iusto, augebit habitum fidei, & reddet intensum, vt quatuor, cum non impediatur actiuitas illius actus per praesentiam gratiae, imò debeat augeri, sicut augetur dignitas, & valor ad merendum plus. Consequens autem non videtur posse admitti in ea sententia: quia si aliquis habens habitum fidei, vt duo iustificetur, & accipiat gratiam etiam vt duo: tunc habitus fidei non augetur, sed remanet vt duo, vt sit equalis gratiae: quare actus

N n 2 fidei

fidei existens eo instanti non augeat habitum fidei, quem tamen augeret, si homo maneret in peccato. Deinde si postea eliciat actum fidei intentum ut sex, non intendit habitum fidei ut sex: quia suppono, quod non potest de condigno augere gratiam usque ad intentionem ut sex: neque enim omnes actus cuiuslibet virtutis merentur æqualiter: cum autem actus charitatis ut sex ad summum intenderet habitum charitatis, & gratia ut sex, non potest actus temperantia, aut fidei æqualem intentionem gratia, & charitatis promereri: quare nec habitus fidei augebitur, ut sex, cum in homine iusto per te habitus fidei non progrediatur in augmento nouo supra intentionem gratia, sed debeat sistere eius augmentum, donec gratia eum adæquet. Erunt ergo peioris conditionis actus intensi fidei facti ab homine iusto, quam facti à peccatore, cum his detur augmentum habitus fidei, & non illis: quod ex se satis durum, & difficile apparet. Habet autem hic discursus maiorem vim ad hominem, eo quod P. Suarez *disso. c. 4. n. 11*. videatur supponere actum intensiorem fidei esse dispositionem, cui debeat augmentum intentionem in habitu, & quæ Deum quodammodo cogat ad illud augmentum producendum, his enim verbis utitur Suarez: quare difficile apparet, cur eadem dispositio actus intensioris posita in homine iusto non exigit id augmentum in habitu, licet habitus supponatur iam intensior, quam gratia: tunc enim præcedit etiam ratio, quam affert Suarez ibi, nempe quod cum *causa secunda disponit sufficienter subiectum ad aliquam formam, & caret virtute introducendi illam, quasi ex naturali debito ad Deum spectat inducere formam, ut in generatione hominis, &c.* propter quam rationem dicit, posito actu intensiori fidei in peccatore, produci à Deo intentionem in habitu, ad quam subiectum inuenitur sufficienter dispositum: quæ ratio magis deberet procedere in homine iusto, in quo subiectum est magis, & melius dispositum propter maiorem valorem actus fidei formata, quam in formis, ut constat.

84

Vnde apparet etiam, minus consequenter eundem Suarez ponere hanc tantam vim dispositiuam in actibus fidei, qui fiunt à peccatore, ut iis Deus debeat addere intentionem in habitu: cum tamen idem auctor *lib. 8. de gratia, c. 4. n. 10. & 17.* hoc unico argumento probaret non produci physicè ab actibus habitum supernaturalem, aut eius intentionem, quia ij actus ex natura sua debent supponere potentiam, qualis est habitus supernaturalis respectu actuum, atque adeo non potest actus ex natura sua habere vim productiuam talis habitus: quia licet aliquando hi actus fiant ante habitum: hoc, inquit, est præternaturale: ordo autem connaturalis talis actus est, ut supponat habitum, tanquam connaturale, & necessarium principium, & ideo ex natura sua non habet efficaciam ad illum. Quæ ratio certè æquè probat, non posse his actibus, ut dispositionibus deberi intentionem sui habitus: quia intentio etiam in habitu est connaturalis, & necessariū principium ad intentionem in actu, ergo non potest intentio ipsius actus esse dispositio, cui ex natura rei debeat intentio habitus, cum nulla possit esse dispositio ex natura rei ad eam formam, quam ex natura rei semper debet præsupponere: quare vel illa ratio non probat sufficienter efficaciam actuum ad producendam per veram causalitatem

substantiam, vel intentionem habitus, ut æquè probat, non posse esse dispositionem, cui ex natura rei debeat intentio habitus.

Denique hinc ultimò colligi potest, minus consequenter aliquos ex iis Auctoribus concedere, augeri fidei habitum informem per actus intensiores, non verò per remissos, aut æquè intensos, prout loquuntur Suarez *lib. 9. dispo. cap. 4. n. 10. in fine*, & Coninch *dispo. dnb. 6. n. 2.* Quamvis magis consequenter id etiam de actibus remissis concesserint Torrianus *dispo. dnb. 1. & Hurtado cum aliis dispo. dnb. 1. & Hurtado cum aliis dispo. dnb. 1.* Ratio autem est ex dictis: quia hi actus, ut videmus, non possunt esse dispositio connaturalis, seu cui ex natura rei debeat augmentum habitus infusi, quare videtur quod solum disponant per modum meriti de congruo: ideo enim attenditur libertas, & honestas in iis actibus, ut Deum moueant ad augendum habitum. Ad hoc autem genus dispositionis per modum meriti non requiritur maior intentio in actu, cum actus etiam remissi charitatis, & aliorum virtutum in homine iusto mereantur de facto augmentum gratia, & intentionem habitus charitatis, & aliorum habituum supernaturalium, ut suppono, & videmus in tract. de charitate, & concedit idem Suarez quia nimirum in ratione meriti non attenditur proportio physica, sed moralis, & possunt in æstimatione morali plures actus remissi æquale vni intenso, & multitudine cõpensare defectum intentionis, quare potest idem premium correspondere pluribus actibus remissis in peccatore, ut sicut vnus actus intensus disponit per modum meriti de congruo ad intentionem habitus, sic possent plures actus remissi, ut si nguli disponant successiue, & obtineant multo minus, sed tamen aliquid illius intentionis, quam obtineret simul vnus actus intensus. Vides quot difficultates occurrant in illo augmento habituum fidei, & spei in statu peccati, quibus omnibus liberat se, qui illud negat, & tunc omnia facile componuntur, dum habitus fidei, & spei semper seruant æqualem mensuram cum habitu gratia, & semper eisdem actibus infundantur, & augentur, ut passionibus gratia, ad cuius positionem ponuntur, & ad cuius incrementum pari passu augentur. Vnde tandem Hurtado *dispo. dnb. 1. sect. 3. §. 14.* ingenue fatetur, se propter solum aliquorum auctoritatem motum esse ad id augmentum fidei informis concedendum, nec aliud ad id fundamentum habere, sariis tamen fuisse id cum aliis negare, ad quod fatetur se nulli fundamentum habere, nisi aliquorum auctoritatem.

Solum opponi solet, quod habitus fidei & spei de facto manent in peccatore sine gratia, & charitate: ergo in eo etiam statu possunt augeri per actus suos: cur enim maiorem dispositionem exigat Deus ad intentionem, quam ad substantiam horum habituum. Ad hoc tamen responderetur facile, dispositionem requisitam ad conseruationem horum habituum non esse eorum actus, sed solum negationem actuum contrariorum nempe infidelitatis, & desperationis: nam puer in infantia baptizatus, etiam si factus adultus nullum exercuerit actum fidei, aut spei nutritus in syluis, & commiserit alia peccata mortalia, retinebit habitus fidei, & spei, quando contra eas virtutes non peccat. Ratio autem congruentia est, quia minus requiritur ad conseruationem, seu non destructionem rei, quam ad productionem, vel

vel augmentum : & aliunde Deus, vt supra diximus, voluit relinquere in peccatore habitus fidei, & spei; vt posset ad iustificationem congruo modo disponi; ad quem finem non erat necesse augere eos habitus in statu peccati, nec parum erat indigno eos non auferre, quin eos etiam in inimico propter opera mortua augetet, maxime cum ad sustinendum eiusmodi augmentum tot debeamus difficultatibus implicari, vt vidimus.

87 Tertiò principaliter dubitari solet, an habitus fidei (& idem etiam est de habitu spei) remittatur aliquando, & diminuat sine totali destructione; suppono totum eum habitum auferri, & corrumpi peccato infidelitatis, de quo dicemus disp. sequenti agentes de subiecto fidei. Porro eundem habitum fidei posse in peccatore fideliter remitti, & debilitari, indicauit vt probabile Bañes hic q. 4. art. 5. dub. 1. in respos. ad 4. quod etiam de spe videtur ibi supponere; vnde has duas virtutes dicit semper in peccatore esse debiliores, & magis remissas, quam in quolibet iusto. Quamuis postea idem Auctor addat, magis sibi placere, quod in peccatore fideliter remaneat habitus fidei cum tota intentione, quam antea habebat.

Hæc sententia ab aliis, qui eius meminerunt, acriter reicitur: ij sunt Turrianus disp. 45. dub. 3. & Hurtado disp. 6. sect. 4. quamuis vterque mendose locum Dominici Bañes allegauerit. Suarez verò lib. 11. de gratia cap. 8. num. 16. huius sententiæ non meminit, & idem solum probauit habitum fidei non remitti, quia per peccata venialia contra fidem non diminuitur. Absolutè autem impugnat primò ex consensu Theologorum, qui quando dicunt, fidem aliis peccatis præter infidelitatem non amitti, hoc intellexerunt vniuersaliter, vt nihil illius amittatur: eodem enim modo dicunt, gratiam peccatis venialibus non amitti, & fidem non amitti, nisi per solam infidelitatem, certum autem est, gratiam, & charitatem nec quoad sui partem amitti per peccata venialia: ergo nec fides quoad partem amittitur per mortalia præter infidelitatem. Quod videtur etiam conformius modo loquendi Tridentini sess. 6. c. 15. dicentis, quod fides non nisi per infidelitatis peccatum amittitur; nam quod minuitur, verè ex parte amittitur, & qui pecunie partem ludo, vel partem mercium naufragio amittit, verè dicitur pecunias, & merces amittere. Quod magis locum habet aduersus illam sententiam, iuxta quam aliquando qui fidem habebat intensam vt 20. amittit ferè omnes illos gradus quolibet peccato mortali, debet enim retinere fidem remissam, & minorem, quam quilibet iustus, qui fidem valde remissam habet, quam amittit quasi totum, quod habebat, & retinebit vnum, vel duos gradus.

88 Deinde ratione impugnat, quia hæc expulsio intentionis fidei, si fit, id erit propter peccatum commissum, & in penam illius: cum autem peccata omnia sequentia singula sint digna eadem pœna, deberet successiue auferri aliquid illius intentionis, quæ remaneret, atque ita multiplicatis peccatis, tandem expelleretur tota fides habitualis, quod non concedent. Neque enim apparet, cur Deus magis puniat primum peccatum, quam posteriora, quæ sæpè multò grauiora erunt. Non est ergo fundamentum id dicendi de primo peccato. Nam quod fides debiliior maneat in peccatore, id prouenit ex eo, quod mortua sit, nec à confortio charitatis foveatur, & excitetur, &

Card. de Lugo de Virtute Fidei diuina.

quia peccatori defunt feruentiora auxilia, & lumina, quibus fides magis illuminetur, & excitetur ad operandum. Sicut etiam spes debiliior est in peccatore, non propter diminutionem intrinsecam habitus, sed quia fœda conscientia fiduciam retardat, iuxta illud 1. Ioann. 3. Si cor nostrum reprehenderit nos, fiduciam habemus. E contra verò conscientia maculata omnia timeret, & difficilius speraret.

DISPUTATIO XVII.

De subiectis fidei.

SECTIO I. Vtrum in Angelis viatoribus, & in primis parentibus fuerit fides.

II. Vtrum in Demone, vel animabus damnatis maneat fides.

III. An detur fides in Beatis, ubi etiam de animabus Purgatorij.

IV. An in heretico, vel infideli habitus fidei remaneat.

V. An ablato habitu fidei, auferatur etiam simul habitus Theologiae.

VI. Vtrum maneat actus fidei in eo, qui scienter negat alium eiusdem fidei articulum.

DE subiecto proximo diximus supra, an fidei habitus sit immediatè in anima, vel in potentia intellectiva distincta: nunc agendum restat de subiecto totali, seu de habentibus fidem, qui sint. Vbi dubium est primò de Angelis, secundò de primis parentibus, tertiò de damnatis, quartò de Beatis, quintò de animabus Purgatorij, sextò de hereticis, & infidelibus.

SECTIO I.

Vtrum in Angelis viatoribus, & in primis parentibus fuerit fides.

NON pauci negant, Angelos habuisse in statu suæ viæ propriam fidem, sed quidam dicunt habuisse cognitionem perfectam naturalem, alij notitiam supernaturalem scientiæ infusæ; alij euidentiam in attestazione, quæ in rigore non est fides, sed scientia. Auctores reruli supra disp. 2. sect. 1. & videri possunt apud Suarez lib. 5. de Angelis cap. 5. n. 15. Communis tamen Theologorum sententia affirmat cum S. Thoma hic q. 5. art. 1. quos late congerit, & sequitur idem Suarez ibi n. 6. Hurtado disp. 59. sect. 1. Coninch disp. 17. dub. 1. n. 16. Turrian. disp. 43. sect. 2. dub. 2. & alij omnes communiter: imò aliqui contrariam sententiam censura aliqua notant, vt Bañes dicta quest. 5. art. 1. qui eam dicit temerariam, & Valentia ibi puncto primo, versiculo Minor probatur, qui nõ nihil temeritatis in ea agnoscit. Coninch ubi supra num. 16. dicit contrariam sententiam falsam esse, & omnino improbandam. Alij tamen ab omni censura eam sententiam liberant, vt Tur-

^I Sententia negans.

^{Sententia affirmans.}